Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



montem: et elevabit super colles: et fluent ad eum omnes
gentes: et ibunt populi multi et dicent: Venite ascendamus
ad montem domini: et ad domum dei iacob: et docebit nos vias
suas et ambulabimus in semitis eius: quia de syon exibit
lex: et verbum domini de hierusalem. Et iudicabit gentes: et arguet
populos multos. Et conflabunt gladios suos in vomeres:
et lanceas suas in falces. Non levabit gens contra gen-
tem gladium: nec exercebuntur ultra ad prelium. Domus
iacob: venite et ambulemus in lumine domini dei nostri. Lectio ysaie prophete

In diebus illis: Locutus est dominus ad Ysaiam prophetam
achaz dicens. Pete tibi signum a domino deo tuo in profundum
inferni: sive in excelsum supra. Et dixit achaz: Non petam
et non tentabo dominum. Et dixit: Audite ergo domus dauid.
Numquid parum est vobis molestos esse hominibus: quia
molesti estis et deo meo. Propter hoc dabit dominus ipse vobis
signum. Ecce virgo concipiet et pariet filium et vocabitur
nomen eius emanuel. Butyrum et mel comedet: ut sciat
reprobare malum et eligere bonum. Sancti lucae

In illo tempore: Missus est angelus gabriel a deo in ciuitatem
galilee cui nomen nazareth. ad virginem desponsatam viro
cui nomen erat ioseph. de domo dauid: et nomen virginis
maria. Et ingressus angelus ad eam dixit: Ave gra-
tia plena: dominus tecum. benedicta tu in mulieribus. Que cum
audisset turbata est in sermone eius: et cogitabat qua-
lis esset ista salutatio. Et ait angelus ei: Ne timeas ma-
ria: inuenisti enim gratiam apud deum. Ecce concipies
in utero et paries filium: et vocabis nomen eius iesum. Hic
erit magnus: et filius altissimi vocabitur. Et dabit
illi dominus deus sedem dauid patris eius: et regnabit